

Dioecesi, in cedificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Circa quod tamen sapienter admonet Benedictus XIV. supra laudato lib. 5 de Syn. Dioeces. cap. 4. n. 3. quod licet Episcopus praedicta facultate reservandi casus possit semper, & quandocumque voluerit, uti; nihilominus multis nominibus decet, ut illum potius in Synodo, quam extra Synodum exerceat, ne secus Parochi conquerantur, suam ordinariam potestatem, ipsis prorsus insciis, nimis admodum coactari: ut enim nota Cardinalis de Lugo de Sacram. Pœnit. disp. 20. sect. 3. num. 37. quamvis Episcopus possit jurisdictionem absolvendi, quam aliis Sacerdotibus delegat, omnino pro libito limitare, & ad paucissimas causas restringere; tanta tamen potestate non potitur quoad Parochos, quorum jurisdictione, etsi ab Episcopo pendeat, eique subjaceat, non est tamen delegata, sed ordinaria; nec potest sine legitima causa aut prorsus auferri, aut adeo imminui, ut fere inanis remaneat.

CAS. III. Sempronius emisso voto simplici castitatis, contraxit sponsalia de futuro cum Berta. Q. an si haec fiat Monialis, & ipse dispensetur a voto, possit absque alia dispensatione contrahere matrimonium cum Berta sorore.

Resp. posse, supposito, quod votum castitatis, ab eo emissum ante sponsalia cum Berta, fuerit absolutum, & castitatis perpetuae, ac totalis. Ratio est, quia in tali casu hujusmodi sponsalia fuere nulla, ac invalida, ratione praedicti voti, quo Sempronius obstrictus eadem contraxit, cum tale votum omnino dissolvat sponsalia subsequentia, ut probat Rosignolus de Sponsal. II. prænot. 4. ac tradunt Giribaldus, & alii DD. commun. Et sic, cum id, quod nullum est, nullum in casu producat juris effectum, ortum non est ex eisdem sponsalibus impedimentum iustitiae publicae honestatis inter ipsum Sempronium, ac sororem Berta; prout clare colligitur ex Tridentino sess. 24. de Reformat. cap. 3; ac propterea idem Sempronius, si dispensetur a voto, utique potest absque alia dispensatione matrimonium contrahere cum Berta sorore.

M E N S E O C T O B R I S.

CAS. I. DUO sunt hominis usurarii heredes. Q. an si unus ex his vel restituere nolit, vel impensis sit, teneatur alter integrum restituere. Secundo, an etiam famuli, & factores usurariorum restituere teneantur. Tertio, an Confessarius non admonens usurarium de onere restitutionis, loco illius teneatur restituere.

Resp. ad I. non teneri, si cohæres possit, ac nolit restituere ad ratam suæ portionis; teneri vero, si ille sit impotens, & portio, quam ipse habuit, ad id sufficiat. Ratio primæ partis est, quia heredes in casu non teneantur restituere titulo injustæ acceptiōnis, sed titulo rei accepta, & in quantum repräsentant personam defuncti; sed ille de quo est sermo, non accepit hereditatem, nec repräsentat personam defuncti, nisi partialiter, alter enim, & ipse accepit æqualem partem hereditatis, & solum ambo simul repräsentant totam personam defuncti; ergo hoc nolente restituere,

ille

ille non tenetur restituere in integrum, sed solum ad ratam portionis, ut cum Cajetano Molina, Lessio, & aliis tradit Barthol. à S. Faust. de Usur. quæst. 92. Neque dicas, omnia bona defuncti in casu esse restituitioni obligata, obligatione saltem personali. Si enim omnia obligata sunt: ergo etiam accepta à cohærede; & sic etiam hic cogi debet ad restituitionem pro rata: malitia namque unius nolentis solvere, alteri nocere non debet. Excipe tamen casum quo uni contigissent in parte omnes res per usuram à defuncto acquisitæ, & hæc penes ipsum adhac extarent in specie; puta, si sit fundus, domus, & similia; nam tunc spectaret ad ipsum ea omnia restituere: cum enim ad eum pervenerunt, erant obligata obligatione reali, & cum eadem ad ipsum transierunt, utpote quæ sequitur rem apud quemcumque existat; ergo ipse tenuerit ea restituere, cum potestate postmodum agendi de meliori divisione cum cohærede, ut sic salvetur æqualitas. Ratio postea secundæ partis est, quia omnia bona libera defuncti, ad quemcumque devenerint in hereditatem, secum detulerunt onus solvendi ejus debita: ergo si cohæres est impotens aliquid restituere, puta quia omnia distraxit, aut consumpsit, in tali casu debet alter heres restituere quantum sufficit cum portione suæ hereditatis. Vide relatum à S. Fausto. loc. cit.

Resp. ad II. cum dist. Vel isti famuli, & factores usurariorum, fuerint aliquo modo causa cooperans ad usuras, vel non. Si non; dico, ipsos ad nihil teneri, quia cum nullum influxum ipsi in usuras præstiterint, non est cur obligentur ad faciendam ob eas restituitionem. Si vero fuerint aliquo modo causa ad eas cooperans; puta, nomine, & auctoritate dominorum faciendo contractus usurarios; vel alios compellendo ad solvendas usuras, aut quid simile; & tunc dico, eos teneri in solidum cum dominis restituere, adeo ut si hi non restituant, ipsi vero pro suo posse restituere debeant. Ratio est, quia tunc in usuras præstiterunt verum influxum, ex quo proinde in eis emersit onus restituitionis: ita DD. commun. Quorum aliqui nec excusant à peccato, & onere restituitionis eos, qui servivint, post factum usurarium contractum ex. gr. in chartis scribendo mutuum, quod datur, vel pignora; aut solum recipiunt usuras, quas solvit mutuarius, aut simpliciter petunt à mutuario lucrum; aut servant, seu numerant pecuniam in dando, vel accipiendo mutuo: ita Molina tom. 2. de Contr. disp. 331. Navartus cap. 17. num. 267. & alii non pauci. Oppositum tamen tenent Sotus, Sylvester, Toleatus, Lessius, & alii quamplures, quos refert, ac sequitur à S. Fausto de Usur. q. 116. eo quia isti non sunt propriæ causæ efficaces, aut morales accipiendi usuras, nec aliquid activitatis influunt ad exactionem usurarum, sed solum materialiter se habent in istis actibus respectu exactionis usurariæ.

Resp. ad III. cum dist. Vel Confessarius eum non admonet inculpabiliter, aut quia novit, eum esse satis conscientem, hujusmodi obligationis; & tunc dico, ipsum non teneri illius loco restituere, quia in tali casu monitionis omissione non est culpabilis. Vel eum non admonet, noscebas ipsum, non esse conscientem dictæ obligationis, monitionemque omittit culpabiliter; & tunc dico, ipsum probabilius teneri, &c. eo quia semel ac suscepit onus

onus audiendi confessionem , tenetur ex officio docere Pœnitentem ea, quæ spectant ad spirituale bonum , ac salutem animæ ipsius , prout in casu est restitutio , cum non remittatur peccatum , ni à potente restituatur ablatum . Neque dicas , Confessarium teneri quidem erga pœnitentem , non tamen erga damnificatum . Contra enim : cum refectio damni sit quid necessario subsequens ad restitutionem , semel ac habet onus monendi Pœnitentem , quoad hanc simul inest ei obligatio eundem monendi , ut indemnicet damnificatum . Neque reponas , hanc obligationem Confessario inesse ex charitate , ac religione , sed non ex justitia . Contra : statim ac suscepit onus audiendi confessionem , tenetur , ex quasi contractu cum pœnitente , huic rite ministrare Sacramentum ; & sic etiam , ex officio , & justitia ipsum docere , & judicare , prout exigit ejus spirituale bonum , ut recte inter alios tradit de Ligorio de Pœnit. cap. 2. num. 619. Unde si omittit , ipse est causa non restitutionis ; proindeque ad hanc , in defectu pœnitentis , ipse tenetur , prout tenerit mutus non obstante , &c. quantumvis influant solum negative . Navarrus , Fillius & alii .

CAS. II. Clericus fuit promotus ad sacros Ordines titulo Patrimonii partim veri , partim fictiti . Q. I. an incurrit pœnam suspensionis , adeo ut , si sic celebret , sit irregularis . Secundo , an suspensionem incurrat ordinatus Subdiaconus titulo veri , ac integri Patrimonii , quod tamen post Ordinationem dimittit absque alio titulo . Tertio , quid dicendum de hujusmodi Clerico , si post dictam dimissionem recipiat Diaconatum , & Sacerdotium .

Resp. ad I. affirm . Si pars patrimonii vera modica est , multumque ei deest ad ipsi ministrandam Congruam , statutam ab ultima Dioecesana Synodo in annuo redditu 200. librarum Bononiensium ; idque ipsemet Clericus sciebat , & Archiepiscopus ordinans ignorabat . Ratio quoad pœnam suspensionis in primis desumitur ex Decreto præfatæ Synodi quæ lib. 2. cap. 8. §. necessitate inter alia hæc habet : Prævie ad actum stipulationis , intimatur Clerico suspensio ipso facto incurrenda , si sc̄e & dolose se gesserit in repræsentando redditus non adæquantes taxam , in præsenti decreto constitutam . Secunda ex cap. Neminem , c. Sanctorum dist. 70. & aliis sacris Canonibus , statuentibus pœnam suspensionis , aliasque , suscipientibus aliquem Ordinem sacrum absque vero titulo Beneficii , vel Patrimonii : quas pœnas innovavit Concilium Tridentinum , ne Clerici cogantur mendicare , aut vile aliquod officium exercere , indecens statui . Ratio postea quoad irregularitatem , si celebret , hæc est , quia violans Censuram scienter , incurrit irregularitatem , cap. Is , qui §. Is vero de sent. excomm. in 6. Addidi tamen in responsione ea verba : Si pars patrimonii vera , modica est , multumque ei deest &c. primo , quia si defectus reddituum sit modicus , puta , non excedat duos , aut tres aureos , tunc non incurrit grave peccatum , neque suspensio , ac potest Clericus ab Episcopo ordinari . Giribaldus de Sacr. Ord. cap. 4. dub. 7. Secundo : quia si quis in assignatione Patrimonii , ad ostentationem , finxerit assignare Patrimonium magis amplum , dummodo vera pars assignata sufficiat , aut solum in modico deficiat , sus-

pen-

pensio non incurrit . Subdidi postmodum , idque ipsemet Clericus sciens , quia si id Clericus ignorabat , immunis est à suspensione , cum Synodus dicat , si sc̄e , & dolose , & in hac suppositione loquantur Sacri Canones , ut eruitur ex Declaratione Sac. Congregat. Concil. die 27. Novebr. 1710. à pluribus relata . Apposui denique ly & Archiepiscopus ordinans ignorabat , quia si id scivisset , & hoc non obstante Clericum ordinasset , hic in tali casu Suspensionem probabilitè non incurisset , sed Archiepiscopus teneretur ipsum alere , vel saltem supplere alimenta , ut patet ex c. Cum secundum Apostolum de Præbend.

Resp. ad II. neg. cum Navarro , Bonacina , & aliis . Ratio est , quia suspensionis pœna , lata quidem legitur contra dolose promotos ad aliquem Ordinem Sacrum absque vero titulo ; non sic vero contra eos , qui post legitimam promotionem dimittunt Patrimonium . Propterea cum odia restringi , & favores conveniat ampliari , ut ait regula juris , ideo dicendum est , Suspensionem in hoc casu non incurri à Subdiacono , ut plures declaravit Sacr. Congregat. Concil. & signanter die 6. Maii 1638. hisce verbis , relatis à SS. D. N. Benedicto Papa XIV. in Notif. 28. edit. lat. n. 28. Sacra Congregatio censuit , eum , qui de facto alienavit , Patrimonium , ad cuius titulum fuerat ordinatus , nulla facta mentione quod ad illius titulum promotus fuisset , in Censuras non incidisse , sed alienationem factam esse ipso jure nullam . Peccat ergo , & ob hoc puniendus est à suo Prælato , qui sic Patrimonium dimittit ; Suspensionem tamen non incurrit .

Resp. ad III. esse dicendum cum Stephano Quaranta , quem citat , ac sequitur Rosignolus de Ordin. in Comm. quæst. 3. artic. 25. num. 11. neque eo tunc incurtere Suspensionem , qui quid in contrarium sentiant Bonacina tom. 3. disp. 3. quæst. 1. punct. 3. num. 4. Pignatellus tom. 5. consultat . 77. num. 17. Ratio est , quia non est verum , ut hi supponunt , quod Clericus in tali casu suscipiat sacros Ordines sine titulo ; cum enim Tridentinum sess. 21. de Reformat. cap. 2. omnino irritet , ac annulet dimissionem Patrimonii , per semetipsum factam à Clerico , hujusmodi dimissio non subsistit , sed Patrimonium adhuc spectat ad Clericum , qui proinde non recipit Diaconatum , & Sacerdotium absque titulo . Vide Rosignolum ibid.

CAS. III. Promisit Cajus , se dono dotum cuidam Ecclesiæ determinatae pulchram Planetam , atq; quia audit , aliam Ecclesiam eadem magis indigere , huic eam donat . Q. an licet .

Resp. cum distinct . Vel prior Ecclesia , seu qui illi præstet , Cajus promissionem jam acceptavit ; & tunc dico , Cajum illicite donare Planetam alteri Ecclesiæ . Ratio est , quia promissio acceptata evasit debitum in promittente , qui propterea sine consensu promissarii nequit intentionem mutare , ac alteri tradere rem promissam . Vel hujusmodi promissionem nondum acceptavit , & in tali casu dico , Cajum licite donare Planetam alteri Ecclesiæ , intenta præsentim majori hujus indigentia . Ratio est , quia antè acceptationem prior Ecclesia nullum jus , aut actionem habet , & sic promissor potest pro libito intentionem mutare , ac Planetam alteri dare magis indigentem . Quod à fortiori valet ; si promissio

Kkk

sio à Cajo facta fuisse per modum voti, hoc est, principaliter propter Deum, siquidem vovens, antequam promissarius rem promissam, seu promissionem acceptet, potest votum suum propria auctoritate in melius commutare, quamvis non sic posita acceptance. Ita Bartholomaeus à S. Fausto de Donat. quæst. 125.

M E N S E N O V E M B R I S.

CAS.I. **E**MIT Titius Censum, constitutum in re jam aliis vinculis obtricta. Q. an valeat exigere pensiones.

Resp. cum dist. Vel hujusmodi res, non obstantibus hisce vinculis, erat adhuc apta sustinere tale Censum, vel non. Si erat adhuc apta, dico cum Bonacina de Contract. disp. 3. quæst. 4. punet. un. num. 9. Quod si in fundationem talis Census intervenit consensus præcedentium Creditorum, potest Titius exigere pensiones. Ratio est, quia in hoc casu nihil obstat tali exactioni, cum Census sit verus ac realis, & Titius, ratione emptionis ejusdem, jus habeat ad pensiones. Si postea non erat amplius apta, videndum est, an Titius ullam haberet cognitionem talis ineptitudinis; si enim omnino tunc ignorabat, dico, ipsum posse exigere pensiones pro eo tempore, quo in ipso duravit talis ignorantia: quia ignorans ignorantia probabili, non tenetur de damno, cap. 2. de Constit. sed è contrario vendor celans vitia rei venditæ, tenetur emptori ad interesse, l. Julianus ff. de Action. Empt. Si vero aliquam notitiam ejusdem habebat, tunc dico pensiones ab eo exigi non posse, quia Census ab eo emptius non subsistit, & per consequens neque ei fructificat, & si pro eo aliquid accipit, evincitur illud accipere ratione multui, propterea nedum est obnoxius restitutioni, sed etiam punitus in foro fori pœnitis usuriariorum. Navarrus Comment. de Usur. num. 119. Molina disp. 391.

CAS. II. Prædium Ecclesiæ, eo quod esset sterile, datum fuit in emphyteusim; nunc opera, & industria emphyteuti factum est fertile. Q. an finita prima emphyteusi, possit iterum dari.

Resp. cum Giribaldo de Emphy. dub. 2. num. 9. posse iterum dari, & quidem absque nova juris solemnitate, si agatur de prædio solito dari in emphyteusim, dummodo nondum sit incorporatum, ac factum de Mensa; item emphyteusis sit cum evidenti Ecclesiæ utilitate, ac serventur conditions primi Contractus, tunc enim non est nova alienatio, sed primæ continuatio. Dixi, si agatur de prædio, solito dari in emphyteusim; nam secus iterum dari non potest absque nova causa legitima (cum prima cessaverit) & absque debitissimis juris solemnitatibus. Hinc in ultima Dicæcesana Synodo lib. 3. cap. 10. prohibentur Beneficiati ab innovanda emphyteusi bonorum.

CAS. III. Noscit Confessarius. Pœnitentem esse sufficienter dispositum; at simul judicat, dilationem Absolutionis eidem profuturam ad uberiorem emendationem, ac maiorem firmitatem propositi. Q. an licite possit eidem Absolutionem differre?

Resp.

Resp. cum dist. Vel ipsem Pœnitens, leniter monitus de uberiori hoc suo spirituali profectu, consentit in talem dilationem Absolutionis, & tunc dico cum Communi, Confessarium ipsi licet eamdem differre, eo quia in tali casu Confessarius nullam ex una parte eidem irrogat injuriam, cum volenti, & consentienti nulla fiat injuria, ex alia sic magis consulit ejus bono spirituali, applicando spirituali ejusdem morbo efficaciorem medicinam. Vel Pœnitens, non obstante tali monitione, est invitus quoad hujusmodi dilationem; & tunc dico, juxta Sancium in Select. disp. 9. num. 6. non posse Confessarium ei licite differre Absolutionem, quia Pœnitens expositis peccatis jus habet ad Absolutionem, quando sufficienter constat de ipsius dispositione: tunc namque Confessarius ex justitia teneat hanc ei imperiri, proindeque absque illius injuria nequit eidem invito eamdem differre. Neque dicas cum Card. de Lugo de Pœnit. disp. 14. num. 169. Puteobonello eod. tract. quæst. 2. art. 4. §. 6. Giribaldo ibid. cap. 10. dub. 4. num. 39. Pœnitentem habere quidem jus ad absolutionem, sed non ad eam statim obtainendam: & Confessarium tamquam medicum spiritualem jus habere adhibendi omnia media, quæ possunt Pœnitentem præservare à peccatis, ut constat ex iis verbis Concilii Lateranensis, Cap. omnis utriusque sexus: Prudenter intelligat (videlicet Confessarius) quale debeat ei (nempe Pœnitenti) præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, experimentis utendo ad salvandum agrotum: & sic posse in casu adhibere Absolutionis dilationem; contra enim: semel ac Pœnitens est, atque cognoscitur à Confessario sufficienter dispositus de præsenti, simul etiam jus habet ad Absolutionem de præsenti, ut quid enim eum relinquere in periculo æternæ mortis, cum actu interveniunt necessariæ dispositiones, ut ab hoc periculo eripiatur? præcipue cum ipsummet Sacramentum auxilia conferat ad non relabendum. Nec oppositum evincitur ex allatis verbis Concilii Lateranensis, nam ea valent quando Pœnitens nondum cognoscitur sufficienter dispositus; vel indicant, Confessarium, etiam eo tunc, debere Pœnitenti præbere sana consilia, ac efficiacia remedia ei assignare, diversis experimentis utendo ad eum salvandum, hoc est, illi imponendo pœnitentias salutares, ac medicinales, eum obligando, ex. gr. ut infra tantum temporis se denuo præsentet, ad summendum experimentum, an in proposito persistat, exequatur media assignata &c. & sic salvetur. Non dicunt tamen quod non absolvatur, quantumvis sit sufficienter dispositus.

M E N S E D E C E M B R I S.

CAS.I. **P**arochus, habens domum parochiale satis amplam, ejusdem partem, per cuius ingressum unice patet interior aditus in Ecclesiam, locavit Laico, qui foris cum Clerico rixatus, hunc vulneravit vulnere non lethali, ac statim se in prædicti ingressus cubiculum receperit. Q. an per judicem, sive laicum, sive ecclesiasticum ob hujusmodi crimen inde extrahi possit?

Kkk 2

Resp.

Resp. neg. talis enim locis gaudet immunitate, cuius legibus subest tum
Judex Ecclesiasticus, cum laicus, ut passim monent D. D. Nec crimen
in casu à Laico perpetratum est de exceptis, ut legenti singulas Bul-
las, hactenus super ista materia editas, facile patebit. Propterea Sacr.
Congregatio Immunitatis tum in Lauretana die 16. Aprilis 1652. cum
in Perusina die 14. Maii ejusdem anni, edixit in prima: extractum
restituendum esse loco immuni, ac monendum Episcopum, ne permit-
tat Canonicos locare Laicis ædes Canonicales: & in secunda, injugen-
dum Episcopo, ut prohibeat ædes Canonicales in Canonia existentes
locari, seu concedi Laicis ad habitandum, sub pœnis sibi bene visis,
ut adnotant Pignatellus Consultat. Canon. 474. num. 1. & Paniolla
tom. 3. decis. 156. num. 30. Nec relevat, Laicum, ob crimen com-
missum, esse excommunicatum, ac fuisse ipsimet Ecclesiæ injuriosum
ob Clerici vulnerationem, hoc enim non obstante, adhuc gaudet Im-
munitate, ut de Communi testatur Decius tract. Crimin. lib. 6. cap.
26. contrarii respondens. Maurus Italia, Thomas del Bene, cum aliis.
Nam in primis non est casus exceptus. Deinde privilegium non est da-
tum favore personarum, & confugientium, sed propter reverentiam
loci sacri, unde hic non attenditur qualitas personæ, ac delictum per-
petrandum cum (non est de exceptis) sed loci sanctitas, & Ecclesiæ
pietas, quæ in hoc magis coruscat, dum reum recipiendo, compatitur
humanam fragilitatem. Accedit, excommunicatum non esse exclusum
ab Ecclesia materialiter sumpta, sed solum de formali, ut cum Diana,
& Monacello tradit etiam Matthæuccius Offic. Cur. cap. 24. num. 15. &
delinquens extra corpus Ecclesiæ, esto fuerit ipsimet Ecclesiæ injurio-
sus ex alio capite; tamen non deliquit contra ipsammet legem Immuni-
tatis, Ecclesiæ data, ideoque frustra non invocat hujus legis auxilium
in casu. Quod si opponas, Sacram Congregationem Immunitatis
pluries declarasse, licet potuisse Episcopum extrahere sive Parochum
è domo Patochiali, sive Canonicum è domo Canonicali, ut constat ex
Decretis allatis à Matthæuccio l. c. num. 18. dico, ea emanasse cum
agebatur de pura pœna ad correctionem, siquidem consulta S. Congre-
gatio ab Episcopo Areino hoc modo: *Si haviendo hallado à un Canonigo
in fraganti con una Muger casada en su Casa Canonical contigua à la Iglesia,
se le haya podido encarcelar con la misma Muger en la Carcel de el
Obispo, sin perjuicio de la immunidad.* Die 31. Augusti 1640. Respondit,
posse ad correctionem, ut refert etiam Pignatellus tom. 1. consult. 35. ges-
ta enim ad correctionem non inducunt formalem extractionem prohibi-
tam per sacros Canones, & Gregorianam, aliasque Constitutiones. Si-
militer in una Interamnensi censuit Episcopum potuisse extrahere Archi-
presbyterum de Piedelico à propria domo Parochiali, & carcerare ad effectum
correctionis. At quando actum fuit ad pœnas imponendas, non ad correc-
tionem, sed secundum Canones, tunc aliter respondit eadem S. Con-
gregatio nimis, extractionem fieri non posse, ut patet ex decretis
supra citatis, ac alias ab ea editis in Mutinen. die 18. Febr. 1531. in
Ariminen. die 2. Maii 1661. & alias, ut ibid. notat Matthæuccius. Qua-

re cum hic simus in hoc secundo casu, dicendum &c. Vide eumdem Mat-
thæuc. cap. 24. cit.

CAS. II. Pia Mulier, adscripta Sodalitiis Cincturatorum, Redemptionis
Captivorum, aliasque, petet à Confessatio: I. an ipsa gaudet Cincturato-
rum Indulgentiis, quando omittit recitare quinque Pater & Ave per obli-
vionem; aut rusticans ubi non est Ecclesia Ordinis S. Augustini, neque Con-
fraternitas Cincturatorum, supplet visitationem Altarium in alia Ecclesia.
II. an consequatur generalem absolutionem, ac benedictionem iis quinque
diebus, quibus infra annum Confratribus, ac Sororibus Redemptionis Cap-
tivorum eadem impertitur, si tunc, ob aliquod legitimum impedimentum,
nequeat ipsa se conferre ad Ecclesiam, in qua datur hujusmodi Absolutio,
ac Benedictio. III. an lucretur Indulgentias à Summis Pontificibus con-
cessas pro recitatione Rosarii, si quandoque, omissa consueta meditatione
Mysteriorum humanæ reparationis, horum vice mediteatur aliquod Novissi-
mum, aut quid aliud pium. IV. demum quænam Indulgentiæ sint concessæ
recitantibus in die Angelus Domini &c. seu Regina Cœli &c. tempore Pas-
chali; ac Psalmum De profundis sub primam horam noctis; & ad lucrum
Indulgentiæ opus sit hæc recitare flexis genibus. Quid ad singula respon-
det Confessarius?

Resonder ad primam negative quoad utramque partem; ut enim Soror-
es, aut Confratres Indulgentias lucentur, debent proprias Instituti condi-
tiones implere, ac opera injuncta; & quidem non utcumque, sed eo modo,
quo injuncta sunt, ut recte ait Theodorus à Spir. Sanct. de Indulg. part. 2. artic. 2. §. 6. Cum ergo prædictæ Indulgentiæ fuerint concessæ Confratribus, ac
Sororibus vere recitantibus quinque Pater, Ave, & certis quibusdam die-
bus visitantibus Ecclesiam præfati Ordinis, necnon Altare, seu Capellam
dictæ Confraternitatis, ideo si Mulier id non præstat, quantumvis ex obli-
vione, impotentia, vel alio legitimo impedimentoo, concessam respective
Indulgentiam non lucratur. Hinc Sacr. Congregatio Indulgentiarum penes
laudatum Theodorum die 22. Februarii 1717. expresse, ac absolute decla-
ravit, *Cincturatos Confratres non gaudere Indulgentiis, nisi recitent quinque Pa-
ter, & Ave, & Visitationem Altarium suppleri non posse à Confratribus in alie-
na Ecclesia, præcipue quando sunt in locis, in quibus non est Ecclesia Ordinis
S. Augustini, aut non est erecta Confraternitas Cincturatorum.*

Ad II. responder pariter negative, sive Mulier sit adscripta Confraterni-
tati Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, cuius Confratribus
dies benedictionis, & absolutionis generalis, sunt feria quarta Cinerum, fe-
ria quinta majoris Hebdomadæ, S. Catharinæ V. & Mart. SS. Trinitatis, &
S. Agnetis secundo; sive adscripta sit Confraternitati Beatae Mariæ de Mer-
cede Redemptionis pariter Captivorum, cuius Confratribus dies benedictio-
nis & absolutionis generalis, sunt festum S. Antonii Abbatis, feria quarta
Cinerum, festum S. Petri Nolasco, festum S. Laurentii Mart. ac festum S.
Catharinæ V. & M. Ratio est, quia Brevia Pontificia, ad consequendam
hujusmodi benedictionem, & absolutionem generalem, utrobique expresse
requirunt conventum ad Ecclesiam, ubi fit functio hujusmodi benedictionis,
& absolutionis; ac interessentiam, seu præsentiam tali functioni: sic in re-
cen-

censione obligationum Confratrum, ac Sororum SS. Trinitatis Redemptoris prædictæ hæc expresse leguntur in Summario Indulgentiarum: Quinque dies benedictionis, & absolutionis generalis (licet à culpa proprie non absolvatur, juxta declarationem fel. record. Clementis VIII.) sunt feria quarta Cinerum, feria quinta Majoris Hebdomadæ &c. in quibus bona, & suffragia Religionis communicantur solis Confratribus, & Sororibus Confraternitatis, qui vere pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, genuflexi hujusmodi functioni in Ecclesiis Ordinis peragendæ interfuerint. Quia vero Confratres, & Sorores Schedulis impressis, vel manuscriptis invitari non solent, suo tempore, & debita præparatione convenire procurent, ut tot bonorum participes fiant. Clemens VIII. Constit. 85. Similiter in Brevi Innocentii XI. incip. Exponi nobis, quo confirmatur Summarium Indulgentiarum Confraternitatum B. Mariæ de Mercede præfatae Redemptionis, hæc habentur: Die festo S. Antonii Abbatis &c. Orationum, Jejuniorum, Missarum, aliorumque bonorum Operum, quæ in dicto Ordine sunt, communicatione participes erunt soli Confratres, & Consolatores dictæ Confraternitatis, qui vere pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, quam vocant Benedictionem, & generalem absolutionem (licet à culpa non fiat proprie absolutio, ut Clemens VIII. declaravit), in Ecclesiis dicti Ordinis facienda, non in aliis, præsentes reperiantur; quia dictus Ordo populum cum scripturis manuscriptis, vel impressis, invitare non solet Confratres, & Consorores, eo debito tempore convenient cum debita præparatione, ut tanti boni participes fiant. Clem. VIII. Const. 79. & 85. quæ concessio confirmata fuit &c. Ergo si mulier, etiam ob aliquod legitimum impedimentum, præfatus diebus nequeat se conferre ad Ecclesiam, ideoque benedictioni, & absolutioni generali eo tunc præsens non sit, ob adductam in superiori responsione rationem, eamdem benedictionem, & absolutionem minime consequitur. Quod patriter valer de Monialibus adscriptis eidem Confraternitati, ni speciale indulsum Pontificium quoad hoc habeant, vel obtineant, vigore cujus, eti benedictioni, ac absolutioni prædictæ non interessentes, ea perfrui valeant; prout Gregorius XIII. specialiter indulxit Patribus Societatis, ut communicent in Privilegiis, per Sanctam Sedem Apostolicam concessis PP. Dominicanis, Augustinianis, Franciscanis, & Carmelitis, quamvis pleraque onera hujusmodi Ordinum Mendicantium non subeant. Idem quoque vallet de Carceratis, vel alio impedimento detentis, ne præfatae functioni præsentes sint. Nec refert, hanc benedictionem, & absolutionem conferri ad instar Jubilæi, quem impediti consequi possunt, saltem postea; nam, si vere est ad instar Jubilæi, id dicitur, quoad interessentes functioni, non vero quoad absentes, cum Brevia, ad lucrum expresse exigant præsentiam, & ideo hanc inculcent. Hinc Moniales, Carcerati, & alii impediti, adscripti huic Confraternitati, possunt quidem lucrari alias hujusce Confraternitatis Indulgentias, si præscripta opera peragere satagant, non tamen benedictionem &c.

Ad III. quoque respondet negative, innixus sequenti Decreto: Cum Sacr. Congregationi, Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita, Pater Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum supplices preces porreverit pro declaratione du-
bi: An qui Sanctissimum Rosarium Beatæ Mariæ Virginis recuant, omissa con-

suta Meditatione Mysteriorum humanæ reparationis, & illorum vice Mortem, ac cætera Novissima, vel alia pia, ac religiosa meditantur; Indulgentias à Summis Pontificibus concessas pro recitatione Rosarii lucentur? Sacr. Congregatio die 6. Augusti 1726. Respondit: Non lucrari. Quam S. Congregationis declarationem per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatam, Sanctitas sua benigne approbavit. Datum die 13. Augusti 1726. L. Card. Picus Præfectus. Raphael Cosmus de Hieronymis Secretarius.

Ad IV. & ultimum in primis respondet quoad Angelus Domini &c. Benedictus XIII. omnibus vere pœnitentibus, & confessis, & Sacra Communione refectis, qui mane, aut meridiæ, seu vespere ad pulsum campanæ: Angelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum: Et Verbum Caro factum est, & habitabit in nobis, cum tribus Ave Maria flexis genibus devote recitaverint: & pro Christianorum Principum Concordia, heresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, piis ad Deum preces effuderint; Plenariam in uno die mensis dumtaxat, per unumquemque fidem ad sui libitum eligendo, lucrificiendam, omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer concessisse. In reliquis vero anni diebus, iisdem Christifidelibus vere contriti, quoties id egerint centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitibus pœnitentilis, in forma Ecclesiæ consueta relaxasse. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valitur. 14. Septembri 1724. Quamquam vero præfatus Pontifex hujusmodi recitationem indiscriminatum faciendam præscriperit flexis genibus; nec ullam ibi fecerit mentionem de Antiphona Regina Cœli; tamen Benedictus XIV. confirmatis prius supradictis Benedicti XIII. Indulgentiis, præscriptio Rubricarum inhærens, jussit, orationem illam Angelus Domini &c. à Vesperis cuiuslibet Sabbati usque ad totam Dominicam sequentem à stantibus recitari: ac insuper durante tempore Paschali (quod in Vesperis Dominicæ Sanctissimæ Trinitatis terminatur) loco supra memoratae Orationis Antiphonam Regina Cœli &c. cum Versiculo & Oratione correspondenti: Deus qui per Resurrectionem &c. à stantibus dicendam substituit iisdem, eam devote dicentibus, Indulgentiis concessis: ita tamen, vñ ii, qui eam Antiphonam memoriter dicere nesciverint, easdem Indulgentias acquirant supradictam Orationem Angelus Domini &c. recitantes; ut habetur ex Notificatione Eminentissimi Card. Guadagni Sanctissimi D. N. Urbis Vicarii Generalis, Romæ publicata die 20. April. 1742.

Quantum postea ad Psalmum De profundis &c. respondet, Clementem XII. die 14. Augusti 1736. Omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui sub horam noctis ad pulsum campanæ Psalmum De profundis, vel semel Orationem Dominicam; & salutationem Angelicam cum versiculo Requiem æternam &c. in suffragium animarum Christifidelium defunctorum flexis genibus devote recitaverint; quo die id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitibus pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxasse. Insuper eisdem Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui per annum præmissa peregerint, ac pro Christianorum Principum concordia, heresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, piis ad Deum preces effuderint, Plenariam in uno die cuiuslibet anni dumtaxat per unum-